Hs. fehlt

1183 Quo duce post in brevi defuncto successor ipsius, illustris Wladizlaus, necnon et uxor sua, nobilissima Gertrudis, soror predicti regis Cunradi, succensi exemplo et exhortatione prefati episcopi novam ecclesiam con[2]-[2]dunt novo[1] ordini erigentes fabricam venustissimam in monte Ztragow mutato nomine ipsius in montem Syon. Quibus optime cooperabatur idem episcopus maxime in spiritualibus coadunando undecumque posset religiosos fratres, quibus et prefecit imprimis quendam Blasium. Postquam vero liquido comperit de institutione Premonstratensis ecclesiae, quod inde initium ordinis, quod inde esset magisterium vitae regularis, ilico habita deliberatione cum ipsis fundatoribus unanimi voto miserunt et de Steinveldensi domo conventum postulaverunt. Et quidem tunc temporis ordo noster licet nondum dilatatus magno fervebat zelo, tum in Premonstrato tum in omnibus ecclesiis nostri iuris et maxime in Steinveldensi ecclesia, quae nullam habuit vel habet in religione secundam. Cuius tunc suavissimo tracti odore principes terrarum undique gaudebant ecclesias fundare novas et personas ordinis evocare ad illustrationem provinciarum suarum, inter quos et isti fun-